



Forum Beneficiale, Sive Quæstiones & Responsa Canonica

Materiam De Beneficiis Universam Ex Beneficialistarum tam antiquorum, quàm recentiorum placitis complectentia. Opus methodo novâ, & clarâ in tres digestum Partes ... accuratè, ac copiosè instructae

De Beneficiorum Ecclesiasticorum Natvra, Erectione, Qvalitatibvs Ad Ea Obtinenda Requisitis ...

Leuren, Peter

Coloniæ Agrippinæ, 1704

70. An detur beneficium regulare neque curatum, neque electivum, propriè inamovibile.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-74477](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-74477)

rium haberet Prioratum; qui licet non sit Conventualis, est tamen curatus, & cura non exercetur per illum ipsum Priorem; sed per presbyterum secularem; in hoc namque casu presbyterum quidem illum amoveri non posse propter implicitam saltē institutionem auctorizabilem Episcopi; Priorem verò ex eo, quòd Prioratus ille jam non sit simplex administratio, debeantque tales Priores promoveri ad sacerdotium, & residere in Prioratibus, vel administrationibus; non autem in monasteriis, ut docet Jo. Andr. *in c. 2. de statu monach. n. 10.* adeoque si promotus ad sacerdotium intuitu, & ad titulum talis Prioratus inde mox moveatur ex voluntate Abbatis, reperiat se ordinatum, & non habere titulum. Quinimo ex eo solum, quòd jurisdictionem habeat, actu super illum ipsum Vicarium suum, Verum an hæ rationes sufficiant, dubito.

Quæres 70. Num detur beneficium etiam regulare neque electivum, neque curatum, saltem proprie inamovibile?

Respondeo affirmativè: Lott. *n. 113. & seq. & hunc dando casum, dum regularis ex collatione Prælati secularis fungentis vice Prælati regularis (ubi nimirum Ecclesia regularis esset Cathedralis, vel Cathedrali unita; tunc enim Episcopus est etiam loco Abbatis, juxta *c. causam. q. 9. de judiciis. & Abb. ibi n. 2. Anch. n. 4. Host. & alii apud Lott. n. 114.*) in dicta Ecclesia obtinet Canonatum vel dignitatem regularem, ab ea moveri non poterit; non à Prælati suis regularibus, quibus aliàs subjectus esset, ob solam promotionem de ipso factam ab Episcopo. *c. ne pro cuiuslibet. 16. q. 1. Felin. in cit. c. causam. n. 5.* Neque ab Episcopo, ut Abbate: non enim accepit illud ab eo, quòd tali; cum Episcopus secularis, cujus est Ecclesia aliqua Cathedralis regularis, dum confert in ea regulari alicui beneficium, censetur illud conferre ut Episcopus, non tanquam Abbas; adeoque sicut actum collationis non exercet, sicut Abbas; ita etiam eundem non exerceat in dictum regularem, ut obedientiarium suum, seu subjectum sibi quoad concernentia instituta regularia, quæ Episcopus talis peragit mediante personâ alicujus regularis; & hinc jam ab eo non sicut aliàs regularis à suo Prælati regulari pro libitu amoveri potest; sed solum sicut Clericus aliis secularis à suo Episcopo, non nisi ex causis urgentibus à jure expressis. Lott. *n. 117. & 118.* Secus tamen esset, ubi Episcopus quis conferret beneficium, ut Abbas obedientiarium suo; non enim tunc respectu talis beneficii solveretur jus obedientiæ quò minus amoveri posset. Lott. *n. 119.**

Quæres 71. Num patronus vel collator laicus (dum forte talis est ex privilegio) beneficium, cui amovibiliter contulit tale beneficium seculare, amovere possit auctoritate propria.

Respondeo negativè: Lamb. *de jurep. l. 2. p. 3. q. 1. d. 10. & 14. Vivian. tr. eod. p. 2. l. 12. c. 3. n. 13.* quos citat, & sequitur Card. de Luca *de benef. d. 80. n. 22. & seq.* ubi ait improbabile, ac à jure prorsus contradictorium esse, quòd laicis competere debeat jus propria auctoritate destituendi Capellanum, quem auctoritate suâ præcisè instituere, & deputare non poterant, non solum

ex regula generali, quòd unumquodque solvendum est cum eo vinculo, quo ligatum est; sed à fortiori, quia difficilius conceditur facultas destituendi, quàm instituendi: neque ab una alteram inferre liceat, ut etiam patet ex eo, quòd collator inferior possit conferre beneficium, vel in eo ad aliorum præsentationem instituere, & tamen non possit institutum seu provisum admittre ad ejusdem beneficii resignationem, quæ admittenda est per ordinarium vel alterum, penes quem est jurisdictio Ordinaria, vel quasi, ob quam nomine Ecclesiæ distractum facere possit. Proinde competit quidem tali collatori facultas amovendi hujusmodi Capellanum, utpote qui titulum prætere non potest, nec continuationem invito tali collatore; sed non nisi per viam, quæ deputatio seu institutio facta fuit, instando nimirum apud Ordinarium, aut alium legitimum superiorem, ut illum amoveat, ac ita illo amoto patronus iterum præsentare possit alium, vel collator rursus conferre alteri. Et tenent hæc à fortiori, ubi talis Capellanus esset curatus (fortè ex speciali aliqua conventiâ, vel privilegio, cum aliàs tales Capellani curati debeant esse perpetui) de quali loquitur de Luca, quem nimirum Societas aliqua laicalis (adeoque jam incapax tituli ac rectoriæ Ecclesiæ, ita ut penes eam residere non possit cura habitualis, seu Rectoria, uti aliàs contingit in Capitulis, monasteriis, aliisque corporibus, seu universitatibus Ecclesiasticis) cui gratiò concessa Ecclesiæ parochialis, aliàs conferrî solita in titulum, & habente rectorè proprium, sibi delegerat amovibiliter, instituendū tamen ab Ordinario. Nec obstant decisiones plures circumferri solitæ in *una Hispanensi juris amovendi Curatum*; siquidem agitur ibi de curato, quem sibi Episcopus tanquam Vicarium ad exercitium curæ constituerat in parochiali Ecclesiâ, annexâ Episcopatu, non solitâ conferrî in titulum (uti sæpius in Hispania contingere, ait Card. de Luca. *n. 16.* ut Ecclesiæ parochiales distinctæ non sint; sed universâ cura est penes Episcopum, omnesque parochiales annexæ sunt Episcopatu) hunc enim, cum ipse Episcopus sit, & maneat Rector talis Ecclesiæ, cui committæ oves pascendæ mediante ministro, pro libitu suo, & auctoritate propria amovere poterat, absque eo, quòd cura illa pateretur quid damni, aut ex oves ad momentum manerent sine pastore.

Quæstio 72. An igitur beneficia manualia, potissimum regularia, sint pro libitu, absque causa removibilia?

Respondeo primò: vel potius suppono, priusquam respondeam, non esse hic quæstionem de Capellaniis, similibusve officiis, quæ quidem manualitati seu liberæ amovitioni obnoxia sunt; rationem tamen beneficii non habent; quales sunt primò Clerici vel presbyteri, qui per administratores Ecclesiæ, vel etiam alias pias societates, & congregationes laicales sub annua vel menstrua mercede conducuntur, absque ulla Episcopi institutione pro missis celebrandis, aliisque peragendis concernentibus Ecclesiæ, vel oratorii dictarum congregationum cultum vel servitium: hos enim constat esse merè conductitios, adeoque ad nutum more famulorum amovibiles sine causâ, vel auctoritate superioris; quoties ipsius Ecclesiæ leges particulares aliter non disponunt. Card. de Luca. *de benef. d. 80. n. 12. & 17.* Secundò: qui